

taceam. Sufficit verisimillimum esse, quod montes a primis quasi globi nostri incunabulis extiterint, et de his inpraesentiarum nobis est sermo. De iis vero, qui Vulcanis, teraemotibus, inundationibus, recessu maris, originem suam debent, non est quod prolixior sim, cum iam complures de iis verba fecerint, causasque efficientes amplissime exposuerint.

§ 5.

Hi montes, quos in posterum primogenios appellabo, tractus certos, et quasi catenas, formant, id est, ordine quodam cohaerente per insignes globi nostri partes transeunt, de quibus nunc vberius dicam. Antequam vero ad rem ipsam me conuertam, libere fateor, me non de omnibus et singulis minoribus huius generis tractibus, tamquam ramis tantum maiorum, dicturum

B fore,

---

videntur. (Vid. *Meine egyptische Schriften* et in eis: *Untersuchung einer braunen Erde aus der Baumannshöhle*, p. 358.) Vel forsitan animalium cadavera priscis temporibus studio iniecta, ad euitandum soctorem fuerunt. Vel, quod etiam non omni caret verisimilitudine, huiusmodi speluncae temporibus truculentissimorum bellorem accolit et eorum pecudibus pro domicilio inferuierunt, qui finitis deuastationibus animalia mortua in eis dereliquerunt, id quod tanto magis verisimile videtur, quoniam nunquam fere vestigia ossium humanorum in eis occurrunt. Multo minus metallifosores, per subsidentiam et collapsum cuniculorum sub terra auctorum sepulti, et post longum temporis spatium denuo reperti, huc pertinent. Ex quibus omnibus patet, montes huius generis omnino extitisse, antequam haec corpora heterogenea in eos delata fuerunt. Quam sententiam recentiores quoque obseruationes et exempla confirmant.